QUAESTIONUM HORATIANARUM SPECIMEN.

Iacobus Cruquius Messenius quum Horatii libros omnes anno 1578 ederet, extremis voluminis paginis addidit *Q. Horatii Flacci vitam e vetusto codice Bland. descriptam.* eandem vitam antea Petrus Nannius Alcmariensis a. 1548 (in Miscellaneorum libro, qui repetitus est in Gruteri Lampadis Tom. I), tum anno 1555 M. Antonius Muretus in editione sua Horatiana vulgaverant. ac Nannius quidem aperte ait se in bibliotheca S. Petri in monte Blandinio invenisse antiquissimum Horatium (Miscell. l. III c. I); deinde pergit sic: 'in ea bibliotheca inveni vitas Horatii plurifariam conscriptas, sed indoctissime, inter quas tamen una eximia fuit . . . hanc cum suis mendis, ut inveni, exhibebo'. deinde sequitur c. II illa vita, cuius paucos locos emendare studet. proximis capitibus de locis quibusdam Horatii et Acronis agit, hunc praecipue ex vetusto illo codice, quem c. XXI veram lusciniam appellat, corrigere studens. itaque dubitari nequit, quin Nannius vitam illam, quam primus et in publicum edidit et Suetonio adscripsit, ex bibliothecae Blandiniae codice quodam vetusto deprompserit. Mitscherlichii errorem, qui editionis suae pg. CLV de Buslidiano cod. loquitur, verbo notasse satis habeo. eodem codice Mureti gratia Antonium Morillonum usum esse quamquam dubitat Carolus Ludovicus Rothius, tamen recte Augustus Reifferscheidius demonstrasse videtur in Suetonii reliquiarum pg. 388 sq.; tum Cruquium ex eodem libro vetustissimo vitam Horatii edidisse non solum per se veri simile est, qui praeter ceteros tractaverit codices Blandinios, sed etiam dilucidis verbis ipse testatur l. l. pg. 647: 'Horatii vitam non uno modo descriptam hic ex codicibus Blandiniis apposuimus', et paullo ante: 'qualis ea (lama) est in Horatii vita in Blandiniis manuscriptis ad ea verba, *mansuraque perpetuo*'. itaque factum est ut omnes fere viri docti de Cruquii fide non dubitantes crederent vitam, de qua agimus, ter ex eodem codice haustam esse, atque ante hos paucos annos Iulius Mützellius in diarii a se editi t. IX a. 1855 pg. 874, deinde Franciscus Ritterus in editionis Hor. t. I pg. VII et in eiusdem diarii t. XIII pg. 76 rem certam exploratamque pronunciarent eaque ad errores quosdam adversariorum refellendos uterentur. qui haud scio an eam ob caussam in errorem inciderint, quod Lambinianae editionis rationem non habuerunt. sed ut quam brevissime rem conficiamus, uno conspectu lectionis varietatem proponemus, qualis exstat apud N(annium), M(uretum), L(ambinum), qui a. 1561 primum, iterum 1567 in Horatium commentarios edidit atque 'Q. Horatii Flacci vitam e vetusto codice non ita pridem a viris doctis ecscriptam et editam, nunc item sed emendatiorem divulgatam' praemisit, C(ruquium) denique.

Cruq. pag. 649[a] l. 1. **Quintus** Horatius *L C*, Horatius *N M* (*errat igitur Fr. Ritter, qui l. l. addit, Quintus nomen esse interpolationem Cruquii*). l. 2 ipse **quidem** *LC*, ipse *NM*. l. 4. vero *MLC*, vere *N*. l. 4 exprobrasset in altercatione *C*, in altercatione exprobrasset *NML*. l. 7

Quoties *LC*, quotiens *NM*. l. 8 se emungentem *MLC*, emungentem *N*. l. 12. mox *MLC*, deinde *N*. l. 12. 13. **in gratiam** insinuatus *LC*, insinuatus *NM*. l. 13. in amborum amicitia locum *MLC*, locum in a. a. *N*. l. 15. demonstratur *LC*, monstratur *NM*. (*ceteri codices*, *quos adhibuit Reifferscheidius*, testatur). l. 17. tu tuum *MLC*, † Titum *N* (*ceteri* tutum). l. 18. Hinno me *LC*, † Minio *N*, Nimio *M*. l. 19 extremis Esquiliis *C* (*conf. totius vitae verba extr.*, '*conditus est extremis Esquiliis*'), extremis *NML*, extremis iudiciis *ceteri*. l. 21 Horatii *LC*, Horati *NM*. esto memor *MLC*, memor esto *N*. l. 22 epistolarum quoque ei *MLC*, ei epistolarum *N*. l. 23 **ut** *LC*, *om. NM*. l. 24 sufficiebam scribendis epistolis amicorum *MLC*, scr. ep. am. s. *N*. l. 26 te cupio adducere *MLC*, a te c. abducere *N*. igitur *MLC*, ergo *N cum cet. cod.* l. 27 epistolis scribendis *MLC*, s. e *N* l. 26 **suggerere** *LC*, ingerere *NM* cum c. c. l. 30 desiit *NMC*, destitit *L*. e *MLC*, ex *N* l. 32 convictor *MLC*, victor *N*. l. 34 volui *MLC*, voluit *N*. l. 35 habeo *C*, habeam NML. l. 36 Septimio *MLC*, Septimo *N* (*qui ipse iam proposuerat* Septimio). l. 39 ἀνθυπερφρονοῦμεν *MC*, ἀντιφάνουμεν *N ex cod.*, *idem conicit scribendum esse* ἀνθυπερφανεύομεν, ὑπερηφανευόμεθα *L*. l. 39 saepe eum *MLC*, saepe *N*. l. 40 **putissimum** *LC*, purissimum *NM*. penem *MLC*, poenae *N* (*qui suspicatur l.* pene). l. 43 *post* perpetuo *lacunam indicant NC*, credidit *NML*, opinatus est *ceteri codices*. l. 46 suorum *MLC*, *om. N* l. 48 Post Sermones vero lectos quosdam *C* (*ceteri codices* S. vero quosdam lectos), S. quoque lectos *N*, S. vero lectos *ML*. l. 50 scito *MLC*, scio *N*. *pag. 649*[b] l. 2 infame tibi *MLC*, tibi infame *N*. l. 9 Habitu *LC*, Habitus *M*, Item Horatius habitu N (*qui tamen verba* Item Horatius *eradenda putat*. l. 10 et a semet ipso *MLC*, a se ipso et *N* l. 11 Pertulit *MLC*, Protulit *N* ib. Dionysius *MLC*, Onysius *N* (*qui ipse iam emendandum esse suspicatur* Dionysius) l. 12 **ne accusem brevitatem** *LC*, ut † accusantem *N*, ut accusantem *M*. *cum ceteris cod.* (*Nannius proponit* ut non accusem brevitatem) l. 13. quantuluscumque *NLC*, quantulusque *M*. l. 15 corpusculum non deest *MLC*, . . . unde est *N*. l. 16 cum *NMLC*, ut *pauci cod.* l. 17 ὀγκωδέστατος *LC ex emendatione Nannii* l. 22 Tiburtini *NMC*, Tarentini *L*. l. 23 Tiburni *MLC*, Tiburtini *N*. ib. meas *MLC*, *om. N*. l. 24 sub eius titulo *MLC*, sub titulo eius *N*. l. 25 commendantis *MLC*, commendans *N*. l. 26. epistola obscura *C*, ep. etiam ob. *NM*, ep. autem o. *L*. l. 34 Esquiliis *MLC*, Aesquiliis *N*, *ut ceteri cod. meliores*.

Apparet ex his Cruquium fere semper cum Lambino consentire atque etiam sexies, quos locos litterarum formis maioribus significandos curavi, contra omnium codicum auctoritatem Lambini coniecturas recepisse in textum; octies Lambini auctoritate neglecta Nannio aut Mureto adstipulatur, suas raro coniecturas profert. et quod pag. 649[a] l. 48 primus addidit *quosdam*, omissum in Bland., sed inventum in ceteris codicibus, deinde quod lacunam pg. 649[a] l. 43 deprehendit et significavit, inde Rothius et Reifferscheidius colligendum esse putant, his duobus certe locis a Cruquio inspectum esse codicem Blandinium. sed ne hoc quidem concedam. primum enim lacuna illa iam ab ipso Nannio indicata erat, deinde vocabulum *quosdam*, non eodem, quo in ceteris omnibus codicibus est, loco additum, felici coniectura invenit, quam eo faciliorem putaverim, quod vocabula apud Muretum *vero*, apud Nannium *quoque* inventa conjungenda et alterum in *quosdam* mutandum esse videbat. Iam igitur iudicandum esse censeo Cruquium, quum hanc vitam poetae a se emendati atque illustrati ederet, codices non inspexisse, sed Lambini exemplum describendum curasse Nannio Muretoque bis terve in auxilium advocatis. confirmari

videtur hoc quod modo posui ipsius Cruquii verbis: neque enim dicit *vita in Blandinio*, sed *in Blandiniis manuscriptis*, neque descriptam eam dicit e vetustissimo, ut alibi fere semper, sed e vetusto codice Blandinio. huc accedit, quod in editione Cruquiana a. 1611 foras data primis paginis legitur *Horatii Poetae vita per Suetonium Tranquillum conscripta, ut a Petro Nannio edita est, libro tertio Miscellaneorum, lacera et multis locis vitiata*, extremis deinde paginis plane sic, ut a Cruquio ipso a. 1578 factum est, indicem praecedit illa de qua agimus vita. nonne eum qui hanc posteriorem editionem curavit intellexisse manifestum est tantam utriusque exempli esse discrepantiam, ut plane aliud et ex alio fonte esse haustum videatur? Mittamus igitur opinionem illam, quae, ut errorem quendam inveteratum confirmarent et stabilirent, viros diligentissimos et acutissimos permovit. sed antequam ad ea transeamus, quae de Nannii codice Blandinio disputanda sunt, pauca de vitae locis quibusdam addere liceat. ad quam emendandam non iam adhiberi debere Cruquium quum per se pateat, ad Nannium redeundum est et ad ea quae ex ceteris codicibus vulgata sunt. itaque pro illis quae Cruquius Lambino obsecutus p. 649[b] l. 12 edidit 'pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne accusem brevitatem, ... boni consulo', emendes velim librorum m. s. scriptura leniter mutata: 'pertulit ad me Dionysius l. t., quem ego, ut excusantis, b. c'. vide commentatorem Cruquianum ad ep. II 1 (hunc enim libellum Augusto ab Horatio missum hic significari certissimum est): 'Augusto increpanti Horatium, quod non ad se quoque plurima scriberet, ut Suetonius auctor est, in primis cum laude Caesaris sese excusat, ne ipsum in re publica occupatum suis scriptis detineret'. Similia sunt quae Porphyrio et Acro ad eundem locum afferunt. Postquam haec scripsi, simillimam esse vidi Reifferscheidii emendationem, qui propius ad librorum fidem accedens scribendum proposuit: excusantem. sed certissimum mihi videtur, quod libri scripti habeant *Onysius* mutandum esse in *Dionysium* cum plerisque, eundemque significari mihi persuasum est, quem Sueton. v. Augusti c. 89 cum Areo patre et Nicanore fratre in contubernio Augusti fuisse tradidit. Deinde emendationi Lachmanni a Reifferscheidio prolatae alteram non minus necessariam adde, quam in scholis tradidit, quum legi iuberet: *in secessu ruris Sabini* seu *Tiburtini*. nam verba ut in codicibus leguntur ferri non posse iam Lambinus intellexit temeraria coniectura substituens *aut Tarentini*. denique hoc eis qui Horatio Suetonioque operam dabunt, commendaverim considerandum, quod nusquam adhuc commemoratum esse miror. inter omnes enim constat nunc, id quod Lesssingius et Rothius demonstraverunt, locum illum celebratissimum, qui est pg. 649[b] l. 18 *nam speculato .... referretur*, aliunde huc translatum eiciendum esse. at in commentatore Cruquiano hoc loco ex codicibus Blandiniis descripto haec exstat adnotatio ad Epod. XI 7 'pudere ad verecundiam, poenitere ad factum pertinet. *legimus in vita Horatii*, illum hoc vitio plurimum laborasse, adeo ut imaginem scorti in cubiculo proprio depictam libenter inspiceret'.

Sed redeamus ad Nannium, a quo codicem antiquissimum Blandinium inventum tractatum multis partibus descriptum esse supra vidimus. iam quum Cruquium et ipsum eiusdem bibliothecae codicem antiquissimum ad libros Horatianos emendandos adhibuisse quaevis fere pagina commentarii Cruquiani doceat, estne luce clarius utrumque eodem codice usum esse? quod qui verum esse negant, hoc potissimum argumentum afferunt, quod Nannii codicem nihil nisi Carmina continuisse, in Cruquii Blandiniano omnia fuisse Horatii poemata pronunciant. non recte sic ex Nannii verbis, quae sunt Misc. III 25 (Gruteri lampadis t. I pg. 1271): *vetus codex nihil*

nos in Sermonibus adiuvat: Nam praeter ipsa carmina Horatii nihil habet, satis Mützellius et Ritterus exposuerunt. hoc addo vocabulum illud *carmen*, quo error ortus est, illis temporibus eadem significatione usurpatum esse quo nunc multi *textus* sive *contextus* poetae dicant. Sic Cruquius ad Sat. I 3, 131 '*taberna* ustrina, habet codex antiquiss. Bland. et in ipso *carmine* (i. e. versu) subsequenti' e. q. s., idem ad Ep. I 11, 22 'praeterea sequens *carmen*', e. q. s. i. e. proximus versus. sed hoc unum etiamsi recte refutatum esse concedimus, duo graviora remanent, quibus commoveor, ut Nannii codicem Cruquiique antiquissimum eundem fuisse negem; quorum unum nihil efficit nisi ut affirmantibus validissimum telum ut ita dicam extorqueat, vitam dico quam a Cruquio e vetere Blandinio non descriptam esse docuimus. alterum miro errore a Mützellio l. l. pg. 874 neglectum est. dicit enim Nannium primum disputare de carminibus, deinde de epodis, tum de arte poetica; codicem igitur, quem adhibuerit, libros illos eodem ordine continuisse veri simile esse. atque hoc quidem verissimum esse nemo negabit. sed vide, quae statim addantur: eodem autem ordine libros illos in codice antiquissimo Cruquii scriptos fuisse antea demonstratum esse. atqui Mützellius pg. 868 pauca ex Cruquii annotationibus profert, ex quibus quem quisque liber locum habuerit in codicibus colligi liceat. itaque restat, ut nos nunc accuratius rem exponamus.

Explicationibus quas de satiris composuerat, praemisit Cruquius nonnulla *de inscriptione librorum qui Sermones dicuntur*. ubi pg. 308[a] haec leguntur: 'In tribus codicibus Blandiniis et Buslidiano pro titulo ita scriptum est: Incipit primus liber Sermonum Horatii. deinde singula poemata inscribuntur Eclogae. quinque autem alii codices nullam omnino habent inscriptionem. antiquissimus autem ex bibliotheca Blandinia. . . . . habet Q. H. F. Carmen seculare explicit: incipit Eclogarum liber primus, maiusculis quibusdam (ita tamen, ut aliquo modo legi possent) characteribus erasis atque in earum locis depictis aliis, qui lectori τὸ Sermonum exhibent'. ex quibus verbis, utcumque de inscriptione illa, quae est: Eclogarum liber, iudicamus, hoc certissimum colligitur, in codice antiquissimo Blandinio carmen saeculare secutos esse satirarum libros. deinde Cruquius pg. 309[a] sic pergit: 'Liber de arte poetica in codicibus Blandiniis duobus, Tonsano et Divaei ante libros Eclogarum (i. e. satirarum): in aliis duobus Blandiniis et Buslidiano ante libros ἐπωδῶν: in Nannii et Martinio codice locum habet ante libros epistolarum'. ea autem, quae supra attulimus, ostendunt antiquissimum Blandinium unum ex duobus esse, qui posteriore loco nominantur, ut quivis intellegat necesse sit hunc fuisse librorum ordinem, qui est in antiquissimo codice Blandinio: Carminum libri quattuor, ars poetica, epodon liber, carmen saeculare, satirarum libri duo, epistularum libri duo, in duobus Blandiniis autem, quos priore loco nominaverat, singulos libros ita sese excepisse: Carminum libri quattuor, carmen saeculare, epodon liber, ars poetica, sermonum libri, epistularum libri.

Iam lectoribus me persuasisse puto Nannium non eo codice usum esse, quem Cruquius vetustissimum sive antiquissimum nominare soleat, sed alio quodam. itaque quintum extitisse credemus cum Düntzero? at rectissime Mützellius l. l. in nota monet, quintus codex vetustus si extitisset, non futurum fuisse, ut Cruquium fugeret, quum praesertim Nannii, quem suum vocaret, familiaritate usus esset eiusque Miscellaneorum libros cognitos habuisse, id quod ex eis verbis intellegimus, quae ad Sat. I 1, 99, pag. 313[b] adnotavit. sed quid impedit, quominus ponamus codicem illum a Nannio inventum alium quendam fuisse Blandinium, atque unum quidem ex eis

duobus, in quibus ordinem supra significavimus eundem fuisse, quem Nannius cum codice suo secutus esse videatur. Cruquius enim non solum omnes codices Blandinios nominat antiquos, sed nonnumquam etiam dilucide de duobus codicibus Blandinianis antiquissimis loquitur; vide quae ad C. I 13, 8. IV 1, 20 scripsit.

Restant autem nonnulla, quae nisi accurate consideraverimus, rem nondum absolvisse nobis videbimur. iubemur enim a Mützellio et Rittero Nannii verba cum Cruquii commentariis conferre. ille igitur Miscell. l. III c. III sqq. Acronis verba, cuius editionem parabat, ex vetusto codice Blandinio a se invento emendat, raro ipsa Horatii carmina respiciens. atque multa quidem quae Nannius codicis auxilio emendaverat, Commentator quoque Cruquianus exhibet non mutata, velut ea, quae capite tertio ad Carm. I 2, 2, c. IV ad c. I 8, 1, c. V ad c. I 10, 9 afferuntur. pauca apud Cruquium desunt, quum alia tum ea, quae Nannius c. IX Acroni ad C. I 20, 1 addidit, nonnulla apud Cruquium paullo aliter leguntur, velut quae ad C. III 29 c. XV notata sunt. sed quod c. XVII et XX eadem codicis lectio ex vetere Blandinio describitur, quae Cruquius in textum qui dicitur recepit, inde colligendum esse putant Mützellius et Ritterus, Cruquium et Nannium haec eidem codici Blandinio debere. at Cruquius C. IV 13, 28 *dilapsum*, Ep. 11, 5 *refixa* tacite scripsit Lambinum secutus, codicum enim auctoritatem aperte solet addere; C. IV 14, 26 et Nannius *praefluit*, et Cruquius legit, ille cum tribus codicibus; nullum autem locum invenies, ubi Nannius eandem sui codicis lectionem in poetae ipsius verbis se invenisse testetur, quam Cruquius in Blandinio suo solo antiquissimo extare dicat. neque postea Nannius cum commentarium in artem poeticam Torrentii editioni Horatianae a. 1608 adiectum scriberet, levissimam huius Cruquiani codicis habuisse cognitionem videtur; id quod uni cuique, qui Torrentianam cum Cruquiana contulerit, statim patebit. contra loci quidam sunt, quibus manifeste videmus Nannium antiquissimum codicem non vidisse. capite enim XXVIII de emendando versu disputat, qui est Sat. I 1, 108 *illuc unde abii redeo*, *nemon ut avarus*, quem sic, ut scripsi, exemplaria quaedam habere dicit. quae lectio quum ei displiceat, ipse proponit: redeo, cur nemo ut avarus. credisne tu Nannium tot verba tantamque operam huic versui sanando et explicando adhibiturum fuisse, si in antiquissimo codice optimam veramque scripturam invenisset: redeo, qui nemo ut avarus? sed ne nimis patientia lectoris abutar, ceteros locos indicasse satis habebo, in quibus eandem corrigendi curam reperiemus c. XXX, ad Sat. I 3, 57. 58, deinde libr. IV c. I. III—V. de Acronis locis autem, quibus Nannius Cruquiusque consentiunt, postea disputabimus.

Postquam igitur Nannium non eum codicem Blandinium invenisse demonstravimus, quem Cruquius antiquissimum vocat maximique omnium recte aestimat, redeundum ad eos, qui plane diversum a Cruquianis quintumque Blandinium fuisse affirmant. quod per se veri simile non fuisse supra dictum est. illi quidem opponunt ea quae cap. XVIII. de c. IV 14, 10. 11., A. P. 193 de scriptura Horatiana e codice allata sint, nimis abhorrere a Cruquianis. quam rem quum Mützellius l. l. pg. 864. 874 et Ritter eiusdem diarii t. XIII pg. 78. 79 absolvisse videantur, statim ad alterum locum pergere liceat. nam praeterea Nannius cap. XXVIII de sat. I 1, 108 disputans haec adicit: 'Inveniuntur exemplaria, quae habent, Nemon ut avarus. sic verba in eisdem exstant codicibus (duobus Blandin., Divaei, Tonsano), quos eodem ordine libros Horatianos habuisse supra ostendimus, quo a Nannio recensentur. Denique illae Commentatoris partes, quae plane sic in Miscell. reperiuntur, cogunt, ut Nannium alium quendam Blandinium codicem et ipsum

satis antiquum in manibus habuisse credamus, non illum quidem mutilum (vide supra pg. 6 init.), sed in sermonibus minus adnotationibus ornatum omninoque multo minoris pretii et auctoritatis quam vetustissimum Cruquii Blandinium.

Vidimus igitur a Cruquio vitam Horatii non ex illo codice omnium optimo editam esse, sed a Nannio ex deteriore quodam. neque posthac habebimus cur miremur, quod alii quidam saeculi decimi codices, velut Parisini codices regii, quos Reifferscheidius litteris A. C. D. signavit, antiquius exemplum expressisse videntur, Blandinius noster autem simillimus est Parisino codici saec. XII, qui E. signatus est ab eodem Reifferscheidio.

Praeterea vidimus scholia Acronis ex eodem codice a Nannio esse emendata paucasque carminum Horatianorum lectiones publici juris factas. intellegemus igitur non ita magnam auctoritatem his tribuendam esse omnesque editores inde a Bentleio usque ad Ritterum errasse, quum ad c. IV 13, 28. in apparatu quem dicunt criticos criberent *dilapsam* esse scripturam vetustissimi Blandinii codicis a Nannio collati, et ad C. IV 14, 26, ubi ibid. scripturae *praefluit* auctoritas veteris Bland. Nannii attribuitur; sed omittere non debebat Ritterus *praefluit* in tribus Blandiniis a Cruquio inventum esse. neque Nannium vituperabimus quod neglectis vetustioribus et melioribus hunc potissimum codicem sibi tractandum delegerit. dicit enim (Miscell. IV c. 26) se in Horatianis non tanquam colonum domicilium habere, sed topiarii in morem inter progrediendum hinc inde florem vellicare. quid spectaverit, cognoscimus ex his eius verbis: ib. III c. IV: 'pauca e multis (Acronis verbis) annotabimus, quia in animo est semel totum Acronem edere'; ibid. c. XVIII: 'integram Acronis editionem paramus'. non quod Horatii carmina, sed quod scholiastam pleniorem et emendatiorem praebebat, codicem suum veram lusciniam nuncupat c. XXI. hinc igitur conicere licebit, antiquissimi codicis adnotationes ad Acronem emendandum et augendum aut nihil aut paucissima contulisse.

Sed iam delati sumus ad difficillimam quaestionem quae est de commentatore Cruquiano necdum a quoquam ea qua decet cura et diligentia tractatam. quam fateor non ante ad iustum quendam finem perduci posse, quam Acronis et Porphyronis commentarios a Ferd. Hauthalio castigatos habeamus. liceat tamen hoc loco pauca quasi obiter monere ad errores quosdam nimis inveteratos reiciendos. velut Guil. Dillenburger nuper etiam in diario Mützellii t. XIV pg. 162 pronunciat Cruquium commentatoris sui maximam partem ex antiquissimo codice Blandinio sumpsisse, neque aliter Ritterus aliique iudicasse videntur, unde factum est, ut commentatoris lectionibus iusto maior auctoritas tribueretur ipsiusque poetae verba minus recte restituerentur. a Cruquio autem ipso hos quos dixi viros in errorem inductos esse suspicor; apud quem haec leguntur pg. 581[a] ad epist. I 18, 15: 'Bland. antiquiss., *ex quo Commentatorem descripsimus* habet...'; ad eundem codicem referre licet, quae pg. 530[a] ad ep. I 5, 1 adnotavit: 'in annotationibus unius Bland., *ex quo commentatorem magno studio descripsimus*, vidi'... his addo quae ad ep. I 15, 9 pg. 564[a] extant: '*Clusinos*, sic habet cod. Bland. antiq. et Sil., quos sequor', collata cum Commentatoris nota quae pg. 562 legitur: 'postquam ob longinquitatem itineris coepissent derelinqui (murteta, quae erant ad Baias) et *ad Clusinos fontes Gabiosque*, ubi erant aquae frigidae, intermissis Baiis concurrere, dicit quod ipse vicus Baianus contemtis suis aquis coepit ingemiscere..... *fontibus* supp. frigidis, scilicet ut curentur.... *Clusinos* Clusinae et Gabinae aquae sunt frigidae'. ex hoc loco quum ceterorum omnium scriptura sit *Clusinis* (vide

Obbarii apparatum, qui tamen de Acrone erravit), inde etiam colligere possumus Commentatorem ex Blandinio antiquissimo maximam partem haustam esse. at rem non ita se habere multis locis aliis reperiemus. ac plerumque quidem omnes Blandinii afferuntur, velut pg. 639[a] in epistula Cornelio filio scripta: 'statui apud me adicere Commentariis antiquis quaedam scholia, quae ex scriptis praecipue Blandiniis collegi atque coadunavi', tum ad C. S. 49, pg. 302[b]: 'in quattuor codicibus (Blandiniis) eadem lectio erat cum suis annotationibus', deinde ad Sat. I 6, 27 pg. 378[a]: 'quid Commentator per zangas (eam enim dictionem sine ullis lituris inveni in annotationibus Blandiniis) significare velit, nescio'. ad ep. II 2, 123 pg. 613[b]: 'quattuor Bland. habent calentia, quos Commentator ex antiquis illis scriptis sequitur.' unum alterumque locum addere possumus, sed vereor ne longi simus in re dubia et incerta. atque iam nunc intellectum iri spero non ex uno Blandinio antiquissimo praecipue Commentatorem editum esse. vide autem haud raro spretas esse antiquissimi adnotationes receptasque alias Cruquio minus probatas: ad epist. II 2, 80 pg. 613[a] '*contacta* sic habent tres Bland. . . . ., quos secutus sum. Bland. antiquiss. legit *cantata*, quod mihi imprimis placet, cum hac annotatione, *ab aliis prius dicta*'. Commentatoris autem sunt: '*contacta pro detritis et divulgatis dicit*,' ad ep. I 19, 39 pg. 587[a] leguntur: 'antiquissimus Bland. habet *ultor i. e. laudator*, alius (Bland.) '*ultor i. e. iniuriarum*'; et in Commentatore pg. 585[a] '*ultor iudex*'. ad Sat. II 3, 208 pg. 452: 'Codex antiquissimus Bland. habet *species alias veris*, cum hac adnotatione, 'contrarias veritati' . . . . equidem Bland. codicis lectionem typis mandari maluissem propter vetustatem, sed s littera maiuscula adempta sequenti dictioni adscripta erat praecedenti'. videmus ex hoc loco iam Cruquium perspexisse pravam lectionem originem fuisse malae interpretationis. Sat. I 7, 20 solus antiquissimus *intus*, commentator *in ius* habet. denique ut rem quam brevissime conficiam, omnibus locis collatis et accurate perpensis sic iudicandum videtur, Blandinium antiquissimum breviores fere adnotationes praebuisse et Commentatoris longe maximam partem ex aliis codicibus, non solum Blandiniis, atque etiam, ut postea demonstrabimus, *ex exemplaribus impressis* collectum esse. Conferatur praeterea Cruquii adnotatio cum Commentatoris his locis : ad c. I 32, 1. III 12, 11, III 20, 3. IV 4, 48. IV 6, 28. Ep. 6, 3. Quum igitur Cruquius se ex Blandinio antiquissimo commentatorem descripsisse affirmat, hoc nihil aliud significat, nisi eam Commentatoris partem, quae ad illum ipsum locum, velut ep. I 18 versum quintum decimum, pertineat, inde sumptum esse.

Haec si probabiliter disputata videntur, apparebit parum caute eos iudicare, qui Commentatoris lectionem etiam in codice antiquissimo fuisse putant. hanc auctoritatem igitur detrahemus his: C. II 13, 28 *occupat*, III 2, 12 *bibet*, III 4, 10 *altricis* IV 9, 8 *Stesichorive* aliisque multis, quos Ritterus nimia diligentia significavit.

Sed ut ad commentatorem redeamus, non mediocrem partem praeter Blandinios ceteri codices praebuisse his videmus locis. C. I 21, 5 *vos laetam fluviis et nemorum coma.* sic Cruquiani codices Mart. Maldeg. Div. Sil., quattuor autem Blandinii *comam* et Commentator: 'vos dicite laetam foliis et coma nemorum'. C. II 18, 30 *nulla certior tamen | rapacis Orci sede destinata | aula divitem manet | erum.* sic Mart. Maldeg. et Silv., non Blandinii, commentator: 'nulla aula manet divitem herum certior destinata sede rapacis orci'. obiter moneo Ritterum, qui alioquin haud raro Commentatoris auxilium ad malam scribendi rationem defendendam asciscit, hoc

loco neque Bentleii adnotatione neque antiquis scholiis permotum esse, ut id reciperet, quod unice verum est.

C. III 4, 31 *temptabo et urentis arenas*, codices Blandinii et Maldeg. legunt urentis, Commentator autem: 'arentis, calentis, in Assyria enim regione Persarum vehementior est sol . . . ordo est, ego viator libenter visam arentes arenas . . .'

Serm. I 1, 64 *iubeas miseram esse, libenter | quatenus id facit.* sic habent codices Bland., Mart. et Tons. cum hac adnotatione: 'quia servit pecuniae'; Commentator: 'quatenus pro quo usque, quamdiu, adverbium temporis'. Sat I 5, 62 *Campanum in morbum* — 'Blandinii codices omnes morbum Campanum, os foedum, faciem foedam cet. exponunt insignem arrogantiam et oris impuritatem immunditiemque. verum codex Tonsanus ad oram paginae habet hanc adnotationem breviusculam et maculis tantum non deletam, puta: In Campania solet quidam morbus, ferruca scilicet, afficere homines in facie. In Divaei codice etiam adnotatum est, quod vix tandem quoque assecutus sum: Campana est regio, et illi genti Campaniae solent innasci magnae verrucae in fronte, quas faciunt incidi. Silvii codex habet, Campanum in morbum, in varices, unde olim Campani dicti sunt varicosi. Commentator denique: hoc quasi a natura Campanis omnibus inest, ut capitis temporibus magnae verrucae innascantur in modum cornuum, quos (l. quas) cum incidi faciunt, cicatrices in fronte manent quasi notae exsectorum cornuum. in hunc ergo morbum, i. e. faciei vitium, quo laborant Campani, iocatur Sarmentus'. videmus h. l. Commentatorem editum esse ex Div. codice, quum Blandinii ut aliis locis cum Porphyrione et Acrone editis maxime consentiant. Sat. II 2, 50 *tutus erat rhombus tutoque ciconia nido | donec vos auctor docuit praetorius.* hic Cruquius pg. 424[a]: 'non est, inquit, a vero alienum hic ludere Horatium: nec alio fortasse nomine Praetorium Asellium (ut in Bland. adnotationibus) velle auctorem ciconiae coquendae, quam quod de ea lautam quandam et novam ὀψοποιΐαν adinvenisset'. Commentator: 'Sempronius Rufus instituisse creditur, ut ciconiarum pulli manducarentur e. q. s'. Plane sic apud Porphyrionem legimus a Francisco Pauly editum, nisi quod ibi codices *traditur*, editi libri *creditur* habent. sed haec sufficiant neque quemquam dubitaturum esse confido, quin etiam ex aliis codicibus suis, velut ex codice Divaei, ex Tonsano, ex Buslidiano scholia descripserit Cruquius. ea autem, quae modo ex commentatore attuli, me commovent, ut ne edita quidem exemplaria Acronis et Porphyrionis Cruquium in componendo Commentatore sprevisse suspicer. ita leguntur ad Sat. II 2, 99 haec: quattuor codices Blandinii et Tonsanus habent *Trausius*, Busl. *Traxius*, Nan. *Traulius*, Divaei *Tosius*; ceteri codices fortasse sic habebant, ut in textu et lemmate legimus, *Trasius*. Commentator autem *Travius* praebet, ut cum paucis aliorum codicibus Acron et Porphyrion habent. Similia multis locis, qui ad satiras pertinent, reperiuntur; conferantur quae ad S. I 3, 130. I 6, 53. II 2, 67. 68 in Commentatore scripta sunt. Neque vero ex editis solum scholiorum Horatianorum exemplaribus, sed etiam aliunde e libris hominum recentiorum nonnulla in Commentatorem tacite transtulisse Cruquium convincere posse mihi videor. ne nimis diu in hac re haeream, pauca exempla afferam. C. III 5, 15 *exemplo trahentis* codices ad unum omnes habent, nullus *trahenti*. itaque textus Cruquii *trahentis*, cum Lambini edit. priore a. 1561. sed cum Lambinus iterum libros Horatii ederet anno 1567, haec adnotavit: '*trahenti* legendum esse sententia ipsa declarat, idque aliquanto post editionem primam iudicaram. sed antevertit Gul. Canterus et prior admonuit libris omnibus invitis sic esse

scribendum'. unde factum est, ut Cruquius in textu quidem, fortasse ex editione Carminum, quam ipse a. 1565 curaverat, retineret *trahentis*, in annotatione autem scriberet: '*exemplo trahenti* dissuasio a consequenti', et in Commentatore: '*trahenti* adferenti in futurum perniciem rei publicae'. manifestum est Cruquium id ex Lambini commentariis in usum suum lectoribus ne verbo quidem admonitis vertisse. ep. I 10, 5 omnes omnium codices habent *vetuli notique columbi*, neque aliter editiones, praeter Cruquium et Paulyum, omnes. Lambino autem legendum videbatur *annuimus pariter vetulis notisque columbis*, dictum Graeco more ἴσως seu ὁμοίως. sed Latine *pariter alicui* dici posse non demonstravit, nam Lucretii versus, quos laudat VI 171 s. ita a Lachmanno leguntur et explicantur: *sic fulgorem quoque cernimus ante | quam tonitrum accipimus pariter qui mittitur igni | e simili causa*. i. e. 'tonitrua tardius ad aures veniunt, cum tamen pariter ac fulgura ab igni e simili causa emittantur'. Cruquii haec est adnotatio: 'quam sibi Lambinus lectionem coniectura proponit, eam continet cod. Bland. antiquissimus. sic et cod. Sil., quam genuinam credo'; Commentatoris haec: 'expressit vinculum amicitiae, hoc est, in quibus discordes sunt alii homines, nos consenuimus pariter amici in amicitia nobiscum nata'. et paullo post: '*pariter vetulis notisque columbis* hoc est in hoc pares cum vetulis et sibi notis columbis'. deinde sequuntur quae Porphyrionis codices habent 'quorum amor plurimus est et diuturnus'. dixerit quispiam Blandinium antiquissimum et Sil. hanc adnotationem praebuisse; at v. 18 quattuor Blandinii habent *divellat*, Commentator *depellat*; v. 25 quattuor Blandinii, Buslid., Silv. *vestigia*, Commentator *fastidia* ut Porphyrio. itaque hoc quoque loco Cruquius videtur codicibus et Commentatori suo quaedam tribuisse, quae a Lambino inventa sibique valde probata maiore auctoritate commendari cupiebat.

Tertium exemplum iam ante hos decem et septem annos Lachmannus in annal. Marburgens. a. 1845 pg. 485 indicavit. sed quod praeter Bergkium a nullo, quantum scio, satis intellectum est, paullo copiosius rem explicabimus. ad c. I 27, 1 Lambinus: 'concinit his Horatianis illud Anacreontis: Ἄγε δῶτε, μηκέθ' οὕτω Πατάγῳ τε κ'ἀλαλητῷ Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ μελετῶμεν. Porphyrio: προτρεπτικὴ ode est haec ad hilaritatem, cuius sensus sumptus est ab Anacreonte ex libro tertio. Commentator Cruquii: Sensus autem sumptus ex Anacreonte lib. 3. ἄγε κτλ., iam sequuntur Graeca plane sic, ut a Lambino scripta erant. Athenaei autem, qui Anacreontis fragmentum servavit l. X 29 Mein., codices δῆυτε δήντε δήτε, vulg. δότε habent. recte igitur Torrentius: quod ex Anacreonte Lambinus adscripsit, fragmentum tantummodo est, inter alia olim ab Henrico Stephano congestum. Cruquius autem verbis Porphyrionis tacite addidit quae apud Lambinum invenerat, ita ut error oreretur, quem Pauly aliique nondum intellexerunt, illud Anacreontis fragmentum libro tertio tribuendum esse opinantes. Franciscus Ritterus autem, quod Anacreontis versus ab Horatianis dissimiles esse animadverteret, quoniam 'Anacreon suos potores cantu lenire voluit, Horatius alloquio et artibus a tumultu et rixa revocavit', Porphyrionem vituperat, debebat Cruquii neglegentiam notare aliena describentis et contexentis.

Sic igitur iudicabimus, Cruquium composuisse quidem commentatorem ex codicibus suis, sed neque omnibus locis ex eodem neque ex Blandiniis potissimum, verum modo ex his modo ex aliis codicibus, prout aut explicationis bonitas aut legendi facilitas suaderet; eis autem locis, ubi aut codicum characteres deleti et vetustate triti viderentur, (id quod haud raro conqueritur, vid. pg. 639ᵃ. 476ᵇ. 499ᵃ) aut notas scriptas minus bonas et plenas esse intelligeret, ex libris

impressis quae deessent, addidisse. sed cur accuratius quae ratio inter Acronis Porphyrionisque scholia et Commentatorem Cruquianum intercedat explicari non possit, iam supra dictum est.

Iterum igitur probum, quem dicunt, Cruquium deprehendimus aliud profitentem aliud dantem. idque eo magis mirabimur, quod non hoc pollicitus suis est. sic enim in epistula ad Cornelium Cruquium filium data ait pg. 639[a]: 'ab initio operum Horatianorum, quicquid in antiquis scriptis et Blandiniis et aliis offendimus lectu scituque utcumque dignum, ad finem usque descripsimus. qua in re nobis nihil adscribimus praeter immensos, diurnos nocturnosque labores et integram fidem'. sed tamen tantum abest, ut propterea plane Theodoro Bergkio assentiendum esse censeam, qui in thesibus Philol. t. XIV 389 foras datis hoc posuit, et in codicum lectionibus et in Commentatore a Cruquio editis manifestas inesse interpolationes eosque errare, qui codices Cruquianos quasi pro fundamento habendos esse putent crisis Horatianae, ut pronuntiare non dubitem, quidquid post magnum Bentleium in emendando Horatio profecerimus, Caroli Lachmanni, Augusti Meinekii, Mauritii Hauptii praecipue opera, id maximam partem codicibus Blandiniis in primisque antiquissimo accuratius perspectis et in usum vocatis deberi. sed magna cautione opus esse, ne in gravissimos errores incidamus, ex his quae adhuc a me disputata sunt, intellectum iri spero.

Concedendum est enim res quasdam impedimento fuisse Cruquio, quominus thesaurus ille bibliothecae Blandiniae cum pulvisculo exhauriretur integerque posteritati traderetur. ac primum quidem scriptoris neglegentia notanda est, qui neque omnibus locis neque satis accurate libros scriptos inspexit et pro more aetatis illius selecta tantum ut quaeque cognitu digna viderentur aut vulgatis editionibus imprimis Lambinianae repugnarent, deprompsit. neque vero verendum est, ne propterea iniustitiae accusemur, quoniam ipse Cruquius in eis quae *ad lectorem benevolum* pg. 648 scripsit haec narrat: 'redeo ad scripta, quae adhuc penes me sunt et singula *solito diligentius perscrutatus* offendi' e. q. s. altera causa est fortunae iniquitas, qua homini industrio et laborioso non concessum erat codices optimos iterum et accuratius inspicere. notissimum est enim testanturque Cruquii querellae ac lamentationes, (vide pg. 308[a]) bibliothecam Blandiniam a. 1566, brevi tempore igitur postquam Horatii carmina edi sunt coepta, 'ab iconoclastis prorsus laceram distractam deperditam exustam esse'. inde factum est, ut saepe talia reperiantur pro certo testimonio: ut me legisse memini, sic mihi videor deprehendisse cet. atque ubicumque litterarum formae sive lituris sive vetustate paene deletae erant, non licebat ex nova collatione codicum incommodorum quasi remedium quaerere. denique ea, quae Cruquius conscripserat et typothetis tradiderat multis foedissimisque vitiis inquinata sunt, quod et operae parum diligenter munere fungerentur et scriptor, ut ipse fatetur, artis typographicae nescius erat. cuius rei unum exemplum attulisse sufficiet. epodi septimi decimi versum quinquagesimum quintum haec praecedunt verba duabus lineis typis descripta: 'Verba Canidiae respondentis et Horatio veniam denegantis' cet. has typotheta lineas tanquam si versus Horatiani essent, versuum numero addidit. in editionibus posterioribus hic quidem paucique alii errores correcti, sed longe plures adiecti sunt.

Ep. I 1, 57. 58 *est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,* | *sed quadringentis sex septem milia desunt.* hunc versuum ordinem a Cruquio ex codice Buslidiano vetustissimo prolatum et receptum nunc plerique, postquam Bentleius vindicavit, observant exceptis paucis, e

quibus Ritterus alteram collocationem sic defendit: 'magna cum vi post proximum *desunt* infertur *est* (non deest), item *sunt* (non desunt). verum hanc elegantiam removit infelix versuum 57. 58 transpositio primum a Cruquio ex uno libro non bono admissa, tum assentientibus paucis codicibus et commendante Bentleio a plerisque recepta'. concedo auctoritatem codicum non ita magnam esse, at fortasse effici poterit, ut vel severissimis satis faciat. notum est enim, ut in ceteris rebus, sic in laudandis et nominandis codicibus parum accuratum esse Cruquium nec satis sibi constare. de Blandiniis multa post Kirchnerum, Stallbaumium, Paulyum, Mützellius l. l. pg. 855 sq. disseruit, qui in hac re errasse videtur, quod praeter Blandinium antiquissimum nonnunquam alium codicem solum ita appellatum esse putavit. tanta enim erat huius codicis praestantia et antiquitas, ut vel reclamantibus ceteris omnibus eum sequendum esse putaret Cruquius; et quum ceteros codices saepe appellaret vetustos, veteres, antiquos, hunc fere ducenties ita e ceterorum librorum numero exemit, ut significaret antiquissimum vel vetustissimum atque semel tantum de tribus Blandiniis vetustissimis (ad Sat. II 2, 3) bisque de duobus Blandiniis antiquissimis (ad C. I 13, 8. IV 1, 20) mentionem faceret. idemque compendii causa haud raro *quattuor codices* simpliciter vocavit omisso bibliothecae nomine, neque minus saepe *antiquissimum* sive *vetustissimum* Blandinium sic signavit. nunquam autem unum ex codicibus ceteris hoc nomine ornavit praeter Buslidianum. putat Mützellius l. l. pg. 854 hoc ideo factum esse, ut ab altero Buslidiano discerneretur. mihi quidem veri simillimum videtur, ne quaestionem illam attingam, quam idem de duobis Buslidianis codicibus instituit, errorem quendam aut Cruquii aut operarum statuendum esse legendumque: in cod. *Bland.* vetustissimo. similem errorem ex deteriore editione a. 1611 exhibent vastus Obbarii apparatus et editio Paulyi, ad Ep. I 17, 8, ubi cum Rittero legendum est: omnes scripti Cruquiani habent *laedet* praeter duos Blandinios, qui vulgatam sequuntur. iam Mureti Lambini Torrentii editiones collatae docent vulgatam habere *laedit*, unde sequitur, nusquam extitisse *laedat*.

Maximam diligentiam ut in ceteris scriptoribus Latinis sic etiam in Horatii libris edendis nostra aetate adhibuerunt viri docti ad recte vocabulorum scribendorum rationem. Hac quoque in re quum maximi ducenda sit antiquissimi Blandinii auctoritas, magnopere est dolendum quod parcum parumque diligentem se praestitit Cruquius. nonnulla quidem libenter et confidenter accepta sunt, velut **artus** (sic enim Cruq. ad C. I 38, 7 artus habent cod. Bl. sine *c* ubique, ad Sat. II 6, 82 artus habent omnes scripti codices neque umquam aliter scriptum offendi; idem rep. ad Ep. I 5, 29) **baca**, **milia** ('per l unicum in omnibus scriptis' ad Sat. I 1, 45) **volgus**, **voltus** (ad Sat. II 6, 77) **volva**, **divolsus**, **parvola**, **epistula**, **murteta**, **murreum**, **depugis** 'sic habent omnes Blandinii, in quibus y fere per u scribitur' ad Sat. I 2, 93), **aëneus**, **tus**, etiam **a**, non ah scribendum est, ut codices Vergiliani (conferantur Wagner et Otto Ribbeck) docent atque hic Prisciani locus *XV* 41 Hrtz: '*A' quoque et praepositio est et interiectio.* neque Horatianorum codicum auctoritate destituti sumus: antiquissimus enim Bernensis c. I 27, 18 habet *a* et unus Blandinius, quem antiquissimum fuisse coniiciam, ah, sed non sine litura). sed **Euhius**, **Phrahates** (quod cum in editione sec. Hauptii C. II 2, 17 receptum est, altero loco puto typothetarum errore remansisse *Phraates* Ep. I 12, 27. qua occasione data emendatissimi nitidissimique libri cetera eiusdem generis vitia addam: C. III 29, 47 diffinget; C. IV 15, 21 Danubium; Sat. I 1, 119 cedat; Sat. II 3, 67 tune); **creterra**, sic vetustissimus Blandinius, ut Mediceus in Ciceronis

epistulis; Priscianus quidem V 23 Hrtz. *cratera*, at Nonius et Paulus Diaconus postulant *creterra*. **navus**, **facilis**, **lugubris**, **crinis** cet. in accusativo plurali; sic enim, non *es* aut *eis* fuisse in antiquissimo Blandinio, docent ea, quae Cruquius annotat ad C. I 8, 15 '*virilis cultus*. erat enim amictu puellari ad Lycomedem deductus, ut supra notatum est. cod. Bland. antiquiss. habet expresse supra notatum, virileis esse accusativi casus', deinde ad Ep. II 2, 36: '*mentem* Bland. antiquiss. habet menteis et fortasse rectius pro animis'. ad Carm. III 8, 5 '*docte sermones*, sermonis per I maiusculum scriptum est in codicibus Bland., quod fere vel eis vel es notat'. neque tamen ex hoc loco effici posse puto, talia recipienda esse; sedex arc I hetypo maiusculis formis scripto remansisse videtur, qui ut ceteri fere omnes codices genetivum habebat ad vocabulum sequens *utriusque* aptum; vide Bentleii adnotationem. reicienda sunt, quae contra omnium codicum auctoritatem Linker proposuit et recepit *draconis*, *Neronis*, *minoris*. praeterea restitue pro faecula Sat. II 8, 9 **fecula** et **fecem**, **fece**, **fecibus** (Sat. II 4, 55. 73. A. P. 277), omnes enim, inquit Cruquius, manuscripti libri *e* simplex ostendunt. neque aliter Lachmannus Lucr. II 430 codices secutus scripsit, V 1141 oblongus *fecem* praebet. **tinguere** (C. II 14, 27. IV 12, 23), **unguere** (quamquam de hoc vocabulo Cruquius nihil testatur) **urguere** (hanc scribendi rationem saepe Blandinii codices confirmant, velut Sat. II 2, 64. Ep. 17, 25. C. II 10, 2. III 9, 9. quamquam Vergilii codex Mediceus plerumque *urgere* exhibere videtur et Velius Longus de orthographia p. 2223 P.: 'animadvertimus tamen quibusdam partibus orationis v litteram vitiose insertam, ut in eo quod est urguere et q. s., in Incerti libro de orthographia pg. 2804 P.: Urgeo, non urgo. Virgilius: Quibusve urgentur poenae. ungo, unxi, quomodo pingo, pinxi: utrumque sine u: attamen derivatum u addit: ut pinguis unguine ceras, ita ut unguentum dicatur. Priscianus denique IX 50 Hrtz.: algeo alsi, urgeo ursi, sed X 11 unguo, linguo, ninguo, stinguo. tum **vemens** quidem scribendum esse Lachmannus ad Lucr. pg. 132 sq. docet, **reprehendere** autem vementer velim restituatur, 'nam sic, inquit Cruquius, in omnibus scriptis legitur'.

Sed hanc rem paullo accuratius, quod fere omnes cum Bentleio Meinekio Hauptio *reprendo* scribunt, explicandam esse video. recte Corssen I. pg. 51 prehendo antiquiorem formam esse dicit, Georgius Curtius autem (Griech. Etym. I. pg. 165) et Aug. Frid. Pott (Etym. Forschungen I. pg. 549 s. ed. 2.) docebunt prehendi verbum compositum esse praepositione *prae* et verbo *hendo*, graece χανδάνω, unde haud raro *repraehendo* scribitur, velut a Lachmanno Lucret. III 599. 858. Sed quod multis antiquissimorum poetarum locis legendum est *prendo reprendo*, velut apud Terentium, ut videtur, semper, conf. And. 353 (ed. Fleckeisen) Phorm. 620. Heaut. 509. Ad. 14. 623. 994., initio quidem ego quoque putaveram omnibus locis breviorem formam reponendam esse. postquam autem intellexi mutari non posse versus Vergilii Aen. II 592 Caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum, Aen. XI 719 transit ecum cursu frenisque adversa prehensis, ea recipienda esse arbitror quae cujusque scriptoris codices praebeant. atque alia accedit causa cur *reprehendere* Horatio reddendum esse censeam.

Sunt autem loci hi:

Sat. I 10, 52 tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?

II 3, 138 nil sane fecit, quod tu reprehendere possis.

Ep. II 1, 81 Cuncti paene patres, ea cum reprehendere coner,

222 siquis amicorum est ausus reprehendere versum;

A. P. 292 Pompilius sanguis, carmen reprehendite quod non
445 vir bonus et prudens versus reprehendet inertis,
Sat. I 6, 67 egregio inspersos reprehendas corpore naevos.
II 1, 76 haec habeant, tanto reprehendi iustius illis
Ep. II 1, 67 indignor quicquam reprehendi, non quia crasse.

Omnibus igitur locis syllaba *re*, nisi longiore forma utamur, in thesi producatur necesse est positione, quae fit consonis *pr*. ne nunc repetam, quae accuratissime Lucianus Mueller de re metr. pg. 316 sqq. exposuit, hoc statim addo in hac quoque re suam quemque poetam legem sibi imposuisse. atque Horatius, nisi quid me fefellit, syllabas breves sequentibus consonis mutis *p b f c g ch t d*, quas liquidae *l* et *r* excipiunt, (nam Graeca sunt quae praeterea producuntur Sat. II 7,43 drachmis, A. P. 187 Procne, C. IV 2,25 cycnum) productas esse voluit fere ducentas, e quibus in thesi vix quadraginta reperies, rarissime autem eae syllabae breves in thesi producuntur, quas sequuntur *pr* et *tr* consonae. ac prioris quidem generis praeter illud reprendendi verbum quattuor tantum extant exempla, quorum tria, *supra* (bis Ep. I 18, 22. II 2, 165) et *supremo* (Ep. II 1, 12) syncope defenduntur (vid. Luc. Mueller l. l. pg. 315), quartum *Capri* (Sat. I 4, 70) nomine proprio (conferatur etiam Lachmanni comment. Lucret. pg. 326, ubi haec sunt: 'manet tamen *spatii*; quod si antiqui usus est, Horatius quoque et *Caprii* prima correpta et eadem producta *Capri* dixisse aut lectorum arbitrium fecisse potuit.' eodem modo sequentibus *tr* consonis breves syllabae in thesi fere nunquam producuntur; ex quattuor enim exemplis, quae inveni, unum cum Cruquio et Bentleio corrigendum est: Ep. II 1, 109 scribendi studio; puerique patresque severi; cetera tria sunt Ep. I 7, 92. pol me miserum, patrone, vocares; A. P. 468 nec semel hoc fecit, nec si retractus erit iam; Sat. II 3, 119 blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca. fortasse etiam hoc loco, ut Serm. II 3, 194, cum Cruquio scribendum est putescat. vide Lachmanni comment. Lucret. pg. 188 sq. sed haec hactenus de syllabis productis; redeundum est enim ad quaestionem, quam de vocabulis e codicis Blandinii antiquissimi auctoritate recte scribendis instituimus. itaque omnes libri scripti habent **sollemne**, **petorrita**, **inlacrymabilis**. **pinna**, 'sic enim habet Bland. antiquissimus' cf. Cruq. ad C. III 2, 24. IV 2, 3. **intellegit**, **comissabere**, fortasse etiam Epod. 6, 5 scribendum est **Laco** cum duobus Blandiniis; C. III 23, 7. Sat. II 1, 43 **robigo**, 'ut legunt Blandinii,' et apud Vergilium G. I 154 Mediceus. **querqueta** (C. III 9, 7), **quassa** (Sat. II 5, 36), quae non solum in Blandiniis, sed etiam in aliis codicibus antiquissimis reperta sunt.

Collegi haec et composui, ut uno quasi conspectu etiam hac in re quanti sit aestimanda illius antiquissimi codicis auctoritas dijudicetur. neque vero mirabimur quod ex eodem alia quaedam notantur minus probabilia, longe plura omissa aut neglegenter descripta sunt. sic reicienda quod ex omnibus Blandiniis notantur *dampnum*, *quarere*, *clusa*, *plosor*, *colis*, *Quincti*, *paulo*, *vatillum* (quod Ritter sic vindicare studet: ex vocabulo *vas*, inquit, duo deminuta nomina ducuntur, a primo casu *vasculum*, tum ex radice nominis (*vat*) *vatillum*, quod est ἅπαξ λεγόμενον; sed mihi quidem non persuasit, qui, quoniam et pluralis forma et antiquior singularis *vasum* radicem *vat* non admittunt, verissimum esse putem, quod Servius (ad Verg. Aen. XI 788) et lexicon a Maio editum (pg. 80(cum codicibus nonnullis et Cruquii et aliorum tradiderunt *batillum*, recte igitur illud ἅπαξ λεγόμενον omiserunt qui nuper de vocibus Horatii

singularibus vel de Horatio verborum inventore egerunt Carolus Zangemeister et Adolfus Rothmaler, sicut etiam *implacidum*, quod idem Ritter ad C. IV 14, 10 Horatium primum usum esse non recte dicit; nam antea iam Propertius V 9, 16 (ed. Haupt) novaverat; sed eidem minus recte omisisse videntur haec: *denominatus* C. III 17, 3, *insomnis* C. III 7, 8, postea ap. Verg. Aen. IX. 167., *potenter* (A. P. 40), *potentius* C. III 16, 10, *prodigialiter* (A. P. 29), *supervacuus* (de cujus formae ratione cf. Rothmaler pg. 16. 19), denique *cubital* (Sat. II 3, 255) et *indecorant* quod C. IV. 4, 35 fortasse Bentleio auctore recipiendum est). spiritus deinde male adiectus est in eis, quae omnia scripta habere testatur Cruquius, *Bosphorus* sive *Bosforus*, *Chaerinthe* (Sat. I 2, 81), *porphyreis* (quae scribendi ratio Cruquium et nuper etiam Paulyum commovit, ut C. IV 1, 10 scriberent *Porphyreis* i. e. Veneri sacris, sed praeter ceteros conferatnr Prisciani I. 26 (Hrtz): 'tanta est cognatio earum (litterarum), quod invicem inveniuntur pro se positae in quibusdam dictionibus, ut ambo pro ἄμφω..... purpureum πορφύρεον' et codicum varietas ab Hertzio adnotata. huc etiam referenda sunt, quae S. I 5, 67; 6, 64 quattuor Blandinii habuisse traduntur *nihilo deterius*, *nihil mi officit*. tum non probanda sunt *divos*, nominandi casu A. P. 114, quod ex duobus Blandiniis protulit Cruquius, *vicinos* Sat. II 6, 77, ad quem locum notanda neglegantia editoris: scribit enim: 'omnes Blandinii *vicinos*, qui nominandi casus est, ut mihi videtur antiquo more scriptus pro vicinus, quae scribendi ratio in iis codicibus frequens est, praecipue in vultus et vulgus.' non viderat illos libros cum aliis quibusdam cum praepositione *inter* conjunxisse accusativum *vicinos*. nec magis Horatio formas obsoletas obtrudemus, qualis est *quoi* i. e. *cui*, A. P. 416, quamquam Cruquius: 'Blandin. antiquissimus habet *quoi* antiquo more, et O. Ribbeck Vergil. Georg. I. 344 ex Medic. pr. m. restituit: quoi tu lacte favos et miti dilue Baccho. ibid. III 6. 311. IV 113 ex Vaticanis schedis. sed haud scio an non recte idem Ribbeckius Aen. I. 267. ex schedis Vat. (in quibus est CVI) et VI 812 ex veteribus aliquot exemplaribus Pierii scripserit *quoi*, cum in Aeneidis ceteris locis constanter scribatur *cui*. Quintil. inst. I 7, 27 'illud nunc melius, quod *cui* tribus, quas praeposui, litteris enotamus: in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum *q* et *u* et *o* et *i* utebantur, tantum ut ab illo *qui* distingueretur. (Plura congessit *Neue* Formenlehre der lat. Sprache II. pg. 165 sq.) Sed utemur hac scribendi ratione, ut locum quendam nondum satis emendatum et intellectum corrigamus: C. II 3, 9 habent optimi libri. *Quo pinus ingens albaque populus | umbram hospitalem consociare amant | ramis? quid obliquo* e. q. s. alii aliter explicant *quo* 'quo in gramine vel loco' commentator Cruquianus, 'in quem locum' Ritter, 'quorsum' Dillenburger coll. Ep. I 5, 12. eadem fere ratio est Meinekii, qui in Annal. Marburg. 1845 pg. 738. ad hunc Varronis locum vindicandum (Sat. Menipp. XXXI. 19) tu non insanis? quo tibi corpus vino corrumpis mero? usum Horatianum comparat. sed re accuratius pensitata aliter iudicandum est. Exempla poetae nostri sunt:

Ep. I 5, 12: quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

Sat. I 6, 24: quo tibi, Tilli,
sumere depositum clavum fierique tribuno?

Madvigius, gram. lat. §. 239 praeterea eadem ratione *unde* voc. usurpari docet:

Sat. II 7, 116 unde mihi lapidem? 'quorsum est opus?' unde sagittas?

II 5, 102 unde mihi tam fortem atque fidelem?

Zumptius, gram. lat. § 770 etiam Ciceronis locum laudavit ep. ad div. VII 23, 2 'Martis vero

signum quo mihi pacis auctori?
neque raro ceteri poetae ita locuti sunt:

Ov. A. II 19, 7 quo mihi fortunam, quae numquam fallere curet?
ib. III 7, 49 quo mihi fortunae tantum?
A. A. I 303 quo tibi, Pasiphaë, pretiosas sumere vestes?
A. III 8, 47 quo tibi turritis incingere moenibus urbes?
quo tibi discordes addere in arma manus?
quid tibi cum pelago?
ex Pont. I 5, 67 quo mihi diversum fama contendere in orbem?

tum pronomine omisso Pers. sat. I 24:

quo didicisse, nisi hoc fermentum, et quae semel intus
innata est, rupto iecore exierit caprificus?

omisso infinitivo Propert. V 3, 51 Hpt:

nam mihi quo? Poenis tibi purpura fulgeat ostris.

ablativum praebent omnes codices Vergilii Aen. IV 97:

sed quis erit modus aut quo nunc certamine tanto?

quem locum O. Ribbeckius intactum relinquere maluit, hoc adiciens 'fortasse imperfecta oratio erat', quam cum Hauptio recipere Heinsii emendationem: certamina tanta.

Videmus igitur voc. *quo* et *unde* sequente dat. pronominis pers. cum accusativo aut cum infinitivo coniungi, numquam cum acc. c. inf., nam Ovid. fast. V 591 Merkel recte revocavit:

'quid tibi nunc solitae mitti post terga sagittae,
quid loca, quid rapidi profuit usus equi?'

neque ablativum idoneis exemplis confirmari. unde fit, ut hic usus ad nostrum locum non referendus esse videatur; fortasse aliquatenus comparari possunt Vergil. ecl. VI 23 'quo vincula nectitis?' et Ovid. met. XIII 516 'quo ferrea resto? quidve moror?' sed tamen alia horum locorum ratio est, itaque reiectis reliquorum opinionibus Lachmannus, ut ad Horatium redeamus, voluerat *quor* (in mus. Rhen. III p. 616). equidem non dubito, quin in antiquissimis codicibus fuerit *quoi* i. e. *cui*.

Praeterea haud scio an neglegentiae Cruquii debeantur quae saepe dicuntur in Blandiniis omnibus imprimisque in antiquissimo extare vocales *e* et *i* permutatae; nonnulla enim ex hoc uno recte leguntur, ut *deversoria* ep. I 15, 10, quum ceteri omnes habeant diversoria, *trecenis* Carm. II 14, 5. fortasse etiam C. I 12, 2 legendum *sumes*. multo saepius autem *i* vocalem pro *e* codicem habere affirmat Cruquius. exempla sunt haec: *derepta* C. III 5, 21. IV 15, 7. Ep. 17, 78. *Monaeses* C. III 6, 9; sic enim cum Blandiniis, non *Monesis* scribendum; *videre* Ep. 16, 14, ita, non *videri*, ut Hauptius vult, scribendum esse non solum versus docet, sed etiam similium locorum comparatio, velut C. I 11, 1 'Tu ne quaesieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi finem di dederint'. *ovile* Ep. 16, 51. *fervet* C. IV 2, 7 non *fervit*, ceteris enim locis fere omnes codices habent *fervet* Ep. I 1, 33, *fervent* Sat. II 4, 62, ut etiam in hac re antiquiora reliquisse videatur Horatius. (Quint. inst. I 6, 7). *quatenus* Sat. I 1, 64. *exiget* C. IV 15, 18. itaque etiam Sat. II 3, 1 scribendum erit: *Si raro scribes, ut toto non quater anno* cum metri causa, tum propter sequens futurum *fiet*.

Item Cruquii fortasse neglegentiae magis quam codicibus attribuenda sunt quae de vocabulis

encliticis traduntur *que*, *ve*, *ne*. vide quae ad Sat. II 3, 157. 292. Ep. I 16, 3 adnotavit. neque tamen defuerunt, qui in errorem inciderent, nimis illi quidem Cruquio credentes. nam Sat. I 2, 63 legi iubet cum omnibus suis codicibus:

Quid inter | *est in matrona ancilla peccesve togata*, cui plerique obsecuti sunt, e novissimis Ritterus, Dillenburgerus, acerrime hanc 'vetustissimorum codicum lectionem' defendentes. quorum hic sententiam esse dicit: quid interest, sive in matrona sive in ancilla sive in togata pecces; Tibulli loco IV 5, 20 in comparationem vocato:

Quid refert clamve palamve vocet?

Ac Tibullo quidem recte Hauptius restituit *clamne palamne*, apud Horatium et sententia et usus postulant, ut legamus *peccesne*. sententia enim est: 'nihil interest in matrona pecces peccesne in ancilla togata' ut duo membra, non tria oriantur. simillimus locus est Sat. II 3, 157: 'quid refert morbo an furtis pereamve rapinis', i. e. morbo an furtis rapinisve, sed ita diversus ut alterum membrum constet ex duobus *furtis rapinisve*. deinde usus Horatii alteri disiunctivae interrogationis membro particulam interrogandi deesse non patitur. Conferatur Sat. I 2, 76 'tuo vitio rerumne labores nil referre putas?' Sat. I 8, 2 'faber incertus scamnum faceretne Priapum', quo loco Cruquius: 'sic omnes scripti, non etiam faceretve'. — Error haud scio an ita sit ortus, quod particulam *ne* sic traici posse non putarent, *ve* multo saepius traiectam esse viderent. ceterum illa collocatio, quam Augusti demum aetate poetas Romanos constat a Graecis poetis antiquis transtulisse, neque vero ab Alexandrinis, a quibus similem usum particularum copulativarum derivandum esse Mauricius Hauptius suspicatur in observat. crit. pg. 53 sqq. (conferantur hi loci: Aesch. Agam. 567. Eum. 9. Pindar. Ol. VI 42. Pyth. VI 15 (quem minus recte Hermannus explicasse videtur), Alexid. Com. 3, 479 Mein.), illa igitur particularum, de quibus agimus, trajectio eosdem editores aliis quoque locis in errorem induxit. Ritter enim ad C. III 21, 18 *tu spem reducis mentibus anxiis virisque et addis cornua pauperi* male explicat: viresque addis et addis cornua pauperi, neque Dillenburger Sat. II, 1, 68 *laeso doluere Metello famosisque Lupo cooperto versibus*, vidit explicandum esse: doluerunt et quod Metellus laesus et quod Lupus famosis versibus (vide Ciceronis de nat. deor. I 23, 65) coopertus erat.

Longe plurimis autem locis vel ex eis quae Cruquius enotavit intellegitur insignis praestantia codicis Blandinii antiquissimi, quem ne in minimis quidem rebus neglegere aut parvi facere debemus. Epist. I 10, 9 plerique, etiam Bentleius, Hauptius in ed. priore, Linker, Ritter, Krüger, Feldbausch scribunt ut codicum major pars: *ista reliqui, quae vos ad caelum fertis rumore secundo*, antiquissimus habet *effertis* idque recte receperunt Doederlein, Dillenburger, Haupt in edit. altera. sollemnis est enim praepositionis *ex* usus in eis compositis, quae motum ex terra ad caelum significant. exempla sunt: evehit ad deos C. I 1, 6. excessit vir sapiens in lucem illam Cic. Tuscul. disp. I 30, 74. Hercules ad deos excesserat Vell. Pat. I, 2. donec Alexander excederet ad deos Curt. IV 32. itaque recte Bentleius C. IV 2, 23 *moresque aureos educit in astra* ex cod. antiquissimo contra plerosque restituit; neque aliter Cicero ait *summis laudibus aliquem efferre ad caelum*, idemque *in caelum escendere* Tuscul. disp. I, 29, 71. Plaut. Trin. 942 *an etiam in caelum escendisti*? Ritschelius cum omnibus fere codicibus scripsit. itaque non puto Halmium recte edidisse Cic. Parad. I 11 *quibus tandem Romulus gradibus ascendit in cae-*

lum? codicum enim auctoritas hoc loco par est, priore autem, quiest Tusc. I 29, 71, fere omnes habent *escendere.* sic etiam emendandi sunt apud eundem hi loci: Lael. XXIII 88, pro Mil. XXXV 97, pro domo XXVIII 75.

C. III 4, 38 nunc quidem plerique cum Bentleio scribunt '*militia simul | fessas cohortes reddidit oppidis*'; sed quum Ritter et Dillenburger alteram lectionem *abdidit* revocaverint, pauca videntur eis addenda, quae Bentleius protulit. primum enim quum Ritterus dicat se auctoritate motum codicum Blandiniorum, in quibus vetustissimum fuisse scholium commentatoris Cruquiani videatur indicare, scripsisse *abdidit*, in ea re opinio eum fefellit, ut ex eis, quae supra de Commentatore disputavimus, facile poterit intellegi. haec enim Commentatoris pars, quae ad Carminum librum tertium pertinet, paucissimis locis ex codicibus Blandiniis, nullo fortasse ex antiquissimo descripta videtur. conferantur quae Cruquius ex codicibus testatur cum Commentatoris adnotatione: C. III 2, 10 Cr. *lacessat* sic omnes, soli Bland. lacesset; Commentator: *lacessat* provocet. C. III 3 Cr. 'in antiquiss. cod. Bland. nec inscriptione, nec litteris maiusculis haec ode a praecedente separata est seiunctaque, quod et Porphyrio vulgatus sic esse debere asserit.' Com. 'haec ode ex Stoicorum schola dicit virum bonum non terreri cet'. C. III 3, 10 Cr. 'antiquiss. Bland. habet *enisus*', Com. '*innixus* incumbens'. C. III 12, 11 Cr. 'antiquiss. Bland. legit *arto* pro denso, quod fortassis est aptius'. Com. 'in *alto* fruticeto cet'. C. III 19, 24 Cr. '*habilis* cod. Bland. antiquiss. legit, non *habili,* quae mihi lectio videtur aliam superare'. Com. '*vicina* uxor, quae seni puella inhabili coniuncta est, unde et zelum eius ostendit, dum invidum dicit'. in his, si quid video, non cum Bentleio *inhabilis*, sed *puellae* emendandum est. ceterum Ritteri annotatio critica h. l. vitiosa est. C. III 27, 57 Cr. '*Europae* invenio in omnibus cod. Bland. et Divaei, ut sententia sit, pater vilis Europae i. e. vili pensus, vili habitus, neglectus', Com. '*vilis* scilicet perdita virginitate. Haec sufficient, ut parum caute Ritterum de codice antiquissimo coniectasse demonstretur. interpretatus est autem rectissime locum de quo agimus iam ante Bentleium Torrentius, cujus quattuor codices cum Lambini et Bentleii nonnullis habent *reddidit.* nec mihi dubium videtur, quin Bland. unus h. l. sit antiquissimus, qui locis similibus veram lectionem servavit:

Ep. II 2, 22 *ne mea saevus | iurgares ad te quod epistula nulla rediret*, sic quattuor Blandinii, Tons. Mart., quos secuti sunt Ritter, Doederlein, Linker, Dillenburger, Krüger, Hauptius in ed. alt., qui in ed. priore cum Bentleio et Meinekio scripserat *veniret.* conferatur sat. I 6, 75 'ibant octonis referentes idibus aera; nam referre significat 'ultro quod debeas afferre', sic redeunt epistulae, quae venire debeant.

Sat. II 3, 191 *di tibi dent capta classem deducere Troia* scripserunt Bentleius Meinekius Hauptius, quos plerique secuti sunt. Cruquii autem fere omnia scripta habent *reducere* sive *redducere*, ut puto scribendum esse et explicandum: domum, quo debes, postquam Troia capta est, classem Graecorum reducere. de forma si quis dubitet, adeat Lachm. ad Lucr. pg. 303.

C. III 24, 60 Hauptius in utraque editione cum Peerlkampio scripsit *cum periura patris fides | consortem socium fallat et hospitem;* sed Blandinii codices habent *hospites*, quorum lectio cur mutanda sit h. l., nullam video causam. eosdem codices sequendos esse iudico Sat. I 6, 29 *audit continuo*: '*quis homo est hic? quo patre natus?*' deteriores codices secuti Bentleius Meinekius Hauptius '*quis homo hic aut quo patre natus?*' utrumque enim, non alterum utrum interrogant homines invidi.

Ep. I 2, 31 *ad strepitum citharae cessantem ducere somnum*, sic Bentleium secuti Meinekius et Hauptius scripserunt. Blandinii codices hic habent *cessatum ducere somnum.* in ceteris libris et scriptis et editis plerumque legitur *cessatum ducere curam.* sed ab antiquissimi codicis lectione non videtur esse recedendum. *somnus* enim *cessatus* sic intellegendus est, ut Ovid. met. X 669 dicit 'Illa moram celeri cessataque tempora cursu | corrigit i. e. tempora, in quibus cessatum est. cf. Sil. It. V 533. itaque Alcinoi iuvenes Horatius iocose rem ab Homero traditam in majus extollens narrat somnum ducere cessatum, quasi nimium temporis somno prohibiti sint. quibus plane contrarios poeta opponit aptissime latrones, qui neglecto somno, ut iugulent hominem, de nocte surgunt.

C. I 35, 17 *te semper anteit serva necessitas* cum omnibus Blandiniis legendum esse Ritter recte demonstrasse videtur, idem post Heindorfium ex omnibus Cruquii codicibus restituit S. I 4, 124 *sive vetabat, an hoc inhonestum et inutile factum | necne sit, addubites.* nam altera lectio *factu* orta videtur ex v. 115 *vitatu quidque petitu | sit melius.* contra antiquissimus cum optimo quoque verum servavit, quum ceteri extremo versu adderent litteram *s*: C. IV 8, 12 *carmina possumus | donare et pretium dicere muneri.* Hauptius et Meinekius (nam de Bentleio falso narrat Linkerus) *muneris.* red recte Dillenburgerus: 'dativum genetivo elegantiorem tuentur antiquissimi codices; dicendi verbum graviorem statuendi, ponendi notionem accepit.

Unum alterumve locum his adicere possumus, sed satis ostendisse nos arbitramur, quanti faciendus sit praeter ceteros codex Blandinius antiquissimus, a quo rectissime Hauptius observ. crit. pg. 35 dicit sine summa necessitate non discedendum esse. sed idem vir clarissimus artis criticae cum paucis princeps quum saepissime discesserit, de hac re quo modo iudicandum sit breviter exponamus.

Iustam quidem omnibusque numeris absolutam codicis de quo agitur notitiam Cruquius pro aetatis illius moribus dare noluit negavitque temporum iniuria. itaque nihil nisi frusta, quasi disiecti membra corporis, colligenda sunt, ex quibus tantum abest ut accurate liceat cognosci, vix ut levi coniectura effici possit, quae codicis fuerit indoles et condicio. ac primum quidem propter antiquitatem satis contritum fuisse librum cum per se credibile est, tum diserte saepeque Cruquius indicat, velut pg. 615[a] ad ep. II 2 extr. 'antiquissimus autem totus ad finem hujus epistolae partim oblitteratus est, partim lacer'. saepius etiam queritur se non sine summo labore assecutum esse, ut legeret characteres: pg. 224[a] 'hic in antiquissimo codice Bland. ex usu frequenti litteris propemodum deletis coniectura vix cet'. pg. 476[b] 'codex Blandin. antiquissimus habet ad oram paginae characteres ipsa quidem forma Graecos, sed eos assequi cum nequeam, non inutile duxi studiosis perspicacioribus eruendos appingere. huc accedit, quod codex non solum lectitatus est multorumque manibus detritus, sed etiam correctores stultissimos quasi perpessus. lacerum autem maxime fuisse marginem nemo negabit. unde factum est, ut multis locis extrema quaeque versuum verba aut vitiata essent aut plane periissent.

Sat. II 3, 251 'nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus' solus antiquissimus habet *primus.* Sat. II 7, 72 'non sum moechus, ais: neque ego, hercule, fur, ubi vasa | praetereo sapiens argentea'. idem *visa.* Ep. I 2, 8 'stultorum regum et populorum continet aestus', Bland. *aestum.* ib. 3, 4 ‚an freta vicinas inter currentia turris', antiquiss. *terras.* ib. II 2, 36 'verbis, quae timido quoque possent addere mentem', solus antiquiss. *menteis.* ib. I 2, 33 ut te ipsum serves, non expergisceris?

atqui, | si noles sanus, curres hydropicus'. idem *atque*. ib. 7, 2 'sextilem totum mendax desideror. atqui, | si me vivere vis sanum recteque valentem, — dabis — veniam'. idem *atque*. Sat. II 6, 10 'o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,' idem *ille*. itaque haud scio an sat. I 3, 57 cum codicibus omnibus uno Blandinio antiquissimo excepto scribendum sit: *probus quis | nobiscum vivit, multum demissus homo: illi | tardo cognomen, pingui damus. hic* cet. Cruquii haec est adnotatio: 'codex Bland. vetustissimus habet *ille*, ut iungatur τῷ probus'. recepit hauc lectionem Bentleius, qui priorum interpretum explicationibus refutatis hanc sententiam esse dicit: 'si probus quis et demissus nobiscum vivit, tardum ac pinguem nominamus; scribit igitur *ac* particula ex coniectura addita: *multum demissus homo ille*; | *tardo ac cognomen pingui damus*. Bentleium secutus est Hauptius, nisi quod *ac* particula propter sequentem consonam *c* (observ. crit. pg. 35) mutata scripsit *et cognomen*; idem Linkerus recepit; Ritter et Dillenburger in ed. quarta *multum demissus homo ille: tardo cognomen, pingui damus*. sed utriusque incredibili modo non congruit explicatio. 'duos esse, inquit Ritter, homines, non unum, pronomen *ille* indicat, tum quod probus non semper multum demissus est, immo saepe magno animo agit. pronomen *ille* e regione positum est priori *quis*'. at non eorum, quae sequuntur, rationem habuit. nam quum dixisset poeta homines invidos invertere solere ipsas virtutes, iam exempla tria proponit, quorum primum est hoc: probo, multum demisso (cf. C. I 25, 5 ibique Ritteri not.) homini damus cognomen tardo, pingui. et protasis et apodosis bipartita est, utraque per asyndeton; asyndetorum enim usus notante Meinekio in praefat. pg. XXX apud Horatium frequentissimus est. totum autem enuntiatum adiecto pronomine *ille* opponitur proximo *hic* v. 57, quo alterum exemplum demonstrat et ipsum bipartitum: *pro bene sano ac non incauto fictum astutumque vocamus*. sequitur tertium exemplum *simplicior quis et est qualem me saepe libenter obtuterim tibi: — — molestus, | communi sensu plane caret*. nonne admirabili arte tria enuntiata poeta expressit, quae quamquam sunt pariter bipartita tamen grata varietate non carent: primum omissis particulis, alterum bis additis, tertium addita in protasi, omissa in apodosi. fortasse hac ratione etiam Kirchneri et Doederlini sententia reiecta est, qui versu 65 coniungunt: *quovis sermone molestus communi sensu plane caret*. sed ut ad v. 57 redeamus, *illi* legendum est et propter codicum auctoritatem et propter dativum *tardo, pingui*.

Diximus supra codicem antiquissimum multis locis correctum esse. saepe Cruquius narrat non solum notas adscriptas, sed etiam supra scriptas esse ab hominibus stultissimis, velut ad C. I 38, 1 *Persicos odi, puer, apparatus* supra notatum est *sperne*. videtur autem ex codice quodam multo deteriore ille quisquis fuit correxisse librum emendatissimum. nam quum vitia quaedam metrica inessent manifesta, (C. III 6, 9 iam bis Monaesis et Pacori manus, Sat. I 7, 7 confidens tumidus, adeo sermonis amari, Sat. II 3, 188 rex sum. nil ultra quaere plebeius. C. III 14, 11 iam virum expertae, male ominatis), semel tantum verum restituit; quod non intellexit Cruquius, qui ad Sat. II 3, 188 haec dixit: '*quaero* codex Bland. antiquissimus ostendit aperte pro *re* syllaba erasa atque suprascriptum *ro* ab inepto aliquo et audaculo castigatore'. de re ante hos octo annos in diario Mützellii disputavi t. IX pg. 83. longe plurimis locis is qui codicem emendare studuit, emendata delevit et vitia intulit.

C. I 12, 13 *quid prius dicam solitis parentis laudibus* correxit *parentum*, quod in marginem adscripsit. C. III 27, 7 *cui timebo* cum litura et supra scriptum 'alias *quid*'. conferantur praeterea

quae his locis tradidit Cruquius: C. II 19, 23. IV 1, 10. Serm. I 1 pg. 308[a], Sat. I 3, 83. II 3, 216. 255. 4, 80. Epist. I 19, 13. II 1, 167. 2, 98. A. P. 237, 330. praeterea ad versum nobilissimum Sat. I 6, 126 *fugio campum lusumque trigonem* cod. Bl. ant. hanc genuinam lectionem solus servavit, 'sed supposita sunt puncta vulgataque lectio adnotata'. quid igitur mirabimur, quod nonnumquam verum inveniri non potuit, neque solum Cruquius ipse incidit, sed etiam posteriores induxit in errores?

Sat. I 3, 130 sq. *ut Alfenus vafer, omni | abiecto instrumento artis clausaque taberna | sutor erat.* sic codices omnes habent. Cruquius autem '*clausaque taberna* ustrina habet cod. antiquissimus Bland. et in ipso carmine subsequenti erasis characteribus *tonsor erat*'. addidit Bentleius 'Acron manuscriptus regiae societatis: urbane, inquit, satis Alfenum Varum Cremonensem deridet, qui abiecta tonstrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam venit: magistroque usus Sulpitio Iurisconsulto, ad tantum pervenit scientia, ut et consulatum gereret'. itaque Bentleius scripsit v. 132 *tonsor erat*, comprobantibus Meinekio Hauptio Linkero Rittero. a quibus ut dissentiam multa me commovent. ac primum quidem quod Bentleius dicit, exemplum non ex eodem artificii genere, sed ex diverso petendum fuisse, saltem concinnius esse, si per varia discurrat oratio, fallitur vir magnus, nam quod v. 127 poeta dixerat et antea, v. 125, non exempli loco posuerat. versibus demum 129 *ut quamvis tacet Hermogenes* cet., et 130 *ut Alfenus* cet. duo exempla a particula *ut*, more suo, incipiens profert, deinde ad v. 129 respiciens *et sutor bonus et solus formosus et est rex* adicit v. 132, ut quasi finem imponat toti disputationi: *sutor erat, sapiens operis sic optimus omnis | est opifex solus, sic rex.* quae deinde Cruquius ad commendandam lectionem profert, non maximi sunt ducenda. legerat enim apud Landinum Alexandrum ab Alexandro de Alfeno quaedam narrare, qui ab adolescentia tonstrinam exercuerit et consulatu functus publico munere decedens efferri meruerit. unde statim sibi persuasit apud Horatium fortasse legendum esse v. 132 *tonsor* idque erasis characteribus se in codice antiquissimo legisse credidit. sed quum in eodem codice adscriptum fuerit *ustrina* (i. e. sutrina), deinde ceteri qui innotuerunt scholiorum codices praeter unum Bentleii aut *sutrina* aut *ustrina* habeant, denique omnes Horatii codices, in eis Bernensis saeculi octavi, habeant *sutor*, Cruquium putaverim non satis bene assecutum esse codicis sui litteras deletas. conferatur Torrentius, qui ad h. l.: 'Quod vero Cruquius, inquit, pro *taberna ustrina* se legisse et pro *sutor tonsor* in fidelissimo codice affirmat, mihi non liquet'.

Sat. I 4, 87 *e quibus unus amet quavis adspergere cunctos | praeter eum, qui praebet aquam.* sic cum Bentleio Meinekius in altera, Hauptius in utraque edit., recentiorum plerique scripserunt. codices autem omnes et Horatii et Porphyrionis *avet.* 'unus codex Bland. legit *amet*, qui idem habet *quamvis*, sed cum litura *m*'. praeterea Valartus, qui Parisiis a. 1770 ad codicum LXXVI fidem se Horatii libros emendasse profitetur, duos libros scriptos *amet* habere dicit. cuius hominis fides quanti aestimanda sit, inde possumus colligere, quod haud paucis locis, quae in solo Blandinio antiquissimo inventa erant, in suis codicibus legisse se affirmat. uno certe loco mendacii convictus est. dicit enim Sat. I 6, 126 in codice regio Parisiensi 9219 extare *fugio campum lusumque trigonem*, contra ea C. L. Rothius hoc ceterisque libris inspectis affirmavit in Philologi t. X. pg. 310 sqq., se in omnibus invenisse alteram lectionem *fugio rabiosi tempora signi.* itaque cum ceteris locis, velut sat. I 3, 57. 60, tum nostro Valarti testimonio fidem abro-

gare licebit. neque vero dubitabimus, quin ille unus codex Bland. sit antiquissimus. nam ad Sat. I 2, 54 Cruquius habet: '*hoc amat et laudat* Tons., Div., Mart. et unus Blandin.; Sat. I 3, 128 'unus codex Bland. habet *qui*, sed reliqui omnes *quo*' nonnunquam nominatur *quidam* (ad Serm. I 5, 26. 51), saepius 'vetus codex' Sat. II 7, 80, codex Bland. ib. v. 97. Sat. I 2, 54 'codex unus' Ep. I 19, 13 'unus ex libris Bl.' A. P. 7 'unus codex Bland'. huc accedit, quod Cruquius ceterorum Blandiniorum codicum lituras raro notavit neque ullo loco 'unius Blandinii' codicis lectionem affert nisi sit antiquissimus; nam ad Sat. II 3, 4 ne male intellegeretur diligenter cavit: 'unus Bland., ... deinde antiquissimus'. exposuimus hoc Ritteri causa, qui male negat nostro loco intellegendum esse antiquissimum. utcumque autem res se habet, non satis magnam esse lectionis *amet* auctoritatem constat. itaque restituenda videtur ceterorum codicum omnium lectio *avet*, quum praesertim antiqui Blandinii litterulae minus clarae essent et lituris correctoris deletae. *unus aspergere avet* non significat *cupit*, ut 'reapse non adspergat, sed *iuvat*, *delectat eum*, *gaudet aspergere*. vide Paul. Diac. pg. 14, 9. Müll. atque ipsum Bentleium, qui doctissima disputatione ep. I 14, 9 *fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra* contra codices legendum proponit *avet rumpere*. at 'constructio ipsa, inquit Bentleius, requirit modum subiunctivum'. recte quidem poeta '*saepe videas*' modo subiunctivo usus est, quem potentialem dicunt: poterat dicere: *saepe videmus*, *accidit ut videamus*, sed more suo in afferendis exemplis potentiali modo utitur, in re ipsa autem enarranda indicativum adhibuit et perrexit v. 90: *hic — videtur*. sed de tota hac re alias disputabimus.

Vidimus igitur, ut redeamus unde digressi sumus, lituris multifariam periisse genuinam et vetustam codicis lectionem. deinde multa sunt quae me commoveant, ut Blandinii nostri archetypum litteris quadratis sive uncialibus scriptum fuisse putem, ex quo librarius non neglegens sed valde indoctus descripsit. id cum aliis rebus comprobatur tum hac, quod saepe duo vocabula in unum contracta leguntur, velut *maletutae* Sat. II 3, 137, *novatae* Sat. II 6, 36, *intus* Sat. I 7, 20. *sibique* Sat. II 7, 83 Ep. I 6, 1 *properes*. qua re bene perspecta multorum vitiorum originem facilius intellegemus, fortasse etiam emendandi viam et rationem inveniemus. ita Sat. II 8, 58 archetypi QUOTTESTA mutavit celeriter describens in QUO TESTA. quod qui invenit depravatum lector, explicandi causa 'supra notavit *eo*'. Sat. II 2, 3 *rusticus abnormis sapiens crassaque Minerva;* antiquissimus Bland. priore littera *s* omissa cum paucis habet *abnormi*, quod Pauly recipere non debebat. Sat. II 7, 81 *tu mihi qui imperitas*, *aliis servis* sic cum codicibus fere omnibus Bentleius, Meinekius, Hauptius; sed quod 'codex Bland. antiquissimus cum duobus aliis habent *alii*, nunc plerique, velut Orellius, Düntzerus, Dillenburgerus, Schmidius, Krügerus, Kirchnerus, Ritterus, Doederlinus scribunt *mihi qui imperitas*, *alii servis;* sed de cupiditatibus, non de una libidine cogitandum esse, cum superiora docent, tum v. 70 *o totiens servus*. itaque non dubitamus epod. 12, 7 vel contra antiquissimos codices reponere *quis sudor*. hoc usus Catulli, Vergilii, Horatii postulare videtur, ut Frid. Ritschelius demonstravit musei rhen. t. XI pg. 630 sqq. quique huic legi repugnant loci, aut emendandi aut alia ratione tollendi sunt. sic Ritschelius et alias ob causas et propter hoc vitium stropham nonam C. II, 1 *qui gurges aut quae flumina* cet. Horatio abiudicavit, quae Linkero quoque multis nominibus suspecta, mihi Horatio prorsus indigna videtur. restat unus locus Catull. 62, v. 20 et 26 qui a Lachmanno, Hauptio, Heysio scribuntur *Hespere*, *qui caelo fertur crudelior ignis? Hespere*, *qui caelo lucet iucundior ignis?* sed quum utroque loco codex Thuaneus saeculi decimi

habeat *quis*, non video causam, cur genuinam et veram lectionem poetae restituere nolimus. Littera *m* eadem ratione videtur excidisse Sat. II 3, 301 *qua me stultitia — insanire putas?* legendum cum Bentleio *quam* stultitiam. conf. Madvig. emendat. Liv. pg. 8. 256.

Sequuntur loci quidam, ubi proximi vocabuli prima littera repetita priori adhaesit. eadem littera consonans *s* vitiose addita est S. II 3, 208 *qui species alias veris scelerisque tumultu | permixtas capiet*, sic cum antiquissimo codice et paucis aliis editorum plerique scribunt interpretantes: 'qui species capiet veritati contrarias et conturbatione malae cupiditatis confusas, is mente captus videbitur; paulo aliter Doederlinus 'et is (i. e. Aiax) qui species alias veris et ille (i. e. Agamemnon) qui species sceleris tumultu permixtas capiet'. neutram explicandi rationem recto star etalo quis est quin statim perspiciat? priorem Teuffelius in comment. Kirchner. pg. 95–98, alteram Henricus Keck in annalibus a Fleckeiseno editis t. VII (1861) pg. 803 recte refutavit. redeundum igitur ad lectionem codicum fere omnium, Acronis, Porphyrionis, Commentatoris Cruquiani: *qui species alias, veri scelerisque tumultu* cet. Torrentius sic explicat: '*alias spes capere* dixit, ut *alias res agere* Cicero et Terentius. ut enim *illud age* vel *hoc age* nota loquendi formula est, qua intenti proposito nobis operi esse iubemur, sic *aliud agere* dicimur, cum animo evagamur et longius aberramus. cur non *alias veri* suo more poeta dixerit pro *a veris?* sed exemplo caret'. at quoniam huius usus exempla vix reperientur, via a Bentleio monstrata progrediendum est. vitium enim in vocabulo *alias* inesse puto et emendationem, quamquam vetat Teuffelius l. l. pg. 98 adhibendam. Bentleius quidem proposuit *vanas* vel *falsas*. neutrum sententiae satis aptum videtur, dubito an scribendum sit: *qui species pravas veri scelerisque* cet. vide v. 220: *ergo ubi prava | stultitia, hic summa est insania.* fortasse Porphyrio sic legit, dicit enim: 'qui concipit animo suspitiones falsas et vera non videt, is demens est'. mirum sane est quod scholiastae, qui satis copiosi sunt in hoc loco exponendo, nihil de voc. *alius* usu et significatione proferunt.

Pergimus ad alterum locum A. P. v. 7 *persimilem cuius velut aegri somnia vanae* 'unus codex Blandin. (i. e. antiquissimus, ut supra demonstrare studuimus) habet *aegris*, sed arbitror *s* litteram ei adrepsisse a vocabulo sequente *somnia*'. sic recte Cruquius.

Haud paucos locos omnium scriptorum veterum simili ratione corruptos esse nemo nescit. quem in numerum referendum esse censeo celeberrimum illud C. I 32, 15 *dulce lenimen mihi cumque salve | rite vocanti.* plerique nunc (Hauptius, Linkerus alii) in emendatione Lachmanni ingeniosa sane *medicumque* proponentis videntur acquiescere, non probata Meinekio, Ritttero, Dillenburgero. Hamacherus *nitidumque*, Goettlingius *quale lenimen mihi cumque* coniecerunt. his novam adicere audeo: *dulce lenimen mihi ubique salve.* primum enim dativum *mihi* usus Graecorum χαῖρέ μοι postulare videtur. neque tamen *cumque* absolute dici posse quisquam demonstravit. *ubique* eadem significatione dictum est, qua sat. II 5, 23 *captes astutus ubique testamenta senum*, Doederlino optime vertente: *immer und überall*, Rittero *bei jeder Gelegenheit.* antiquiores quidem scriptores cum Cicerone nisi additis relativis non dicunt, velut hoc, 'qui ubique praedones fuerunt', similia, ut sit 'et ubi'. at Horatii aetate absolute dictum est a poetis:

Verg. Aen. II 368 crudelis ubique | luctus ubique pavor et plurima mortis imago.

ib. 755 horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.

ib. XI 646 funditur ater ubique cruor, dant funera ferro.

scriptorum primus, nisi fallor, Livius sic locutus est.

Restat ut de locis nonnullis agamus, ubi manifesta vitia habuisse videtur Blandinius codex antiquissimus. quibus quum ne optimi quidem libri scripti careant, illud videndum, ne librariorum peccata poetae obtrudantur. ita Carm. IV 7, 17 *quis scit an adiciant hodiernae crastina summae | tempora di superi?* Bl. ant. habet *vitae*. Paulyus recte v. C. I 4, 15 *vitae summa brevis* cet. huic in margine olim adscriptum fuisse putat, ita ut inde glossa *vitae* in hunc locum abiret. Sat. I 3, 60 *hic fugit omnes | insidias nullique malo latus obdit apertum | cum genus hoc inter versetur* cet.; sic omnes libri, solus antiquissimus *versemur*, quod receperunt Bentleius Meinekius Hauptius, non recte, si quid video. nam causam affert, ob quam insidias fugiat cautus ille homo: cum versetur, i. e. se versari credat. quam facile syllaba — mur fieri possit — tur, docet Epist. II 2, 158 *si proprium est quod quis libra mercatus et aere est.* sic antiquissimus cum quibusdam aliis codicibus, tres Blandinii *quidquid mercamur et aere.*

Sat. I 6, 31 *ut siqui aegrotet quo morbo Barrus, haberi | ut cupiat formosus;* in omnibus Cruquii aliorumque libris legebatur *et cupiat*, quod Ritterus cum Dillenburgero receperunt, quamquam Bentleius iam sententiam loci bene exposuit. praeterea commovet me, ut reiecta Blandiniorum lectione malim *ut cupiat*, lex quaedam particulae *et* postpositae. accuratissime hanc rem Hauptius observat. crit. pg. 48 sq. confecit, sed quum dicat pg. 49 Horatium etiam post duo vocabula *et* voculam postposuisse, non recte affert Ep. 1, 23 *libenter hoc et omne militabitur bellum* i. e. hoc bellum et omnia bella. restat unus locus Ep. 16, 40 *Etrusca praeter et volate littora* i. e. et praeter Etrusca littora, sed *Etrusca praeter* quasi in unum vocabulum coaluerunt. deinde Horatius quamquam 'in traiciendis vocabulis saepe mire audax est', ut Meinekius observavit praefat. pg. XXXVII, numquam tamen *et* particulam in proximum versum traiecit. itaque fieri non potest ut *haberi | et formosus* sit *et haberi formosus.* conferatur quod simillimum Nipperdeius de particula *atque* observavit in comment. Horat. priore pg. 12 sq.

Epistularum libros satis emendate in codicibus scriptos esse inter omnes constat, maximique in hac parte habendos esse Bentleii Graevianum Leidensem Reginensem. contra exemplis quibusdam demonstrabimus antiquissimi Blandinii auctoritatem ad epistulas recensendas multo minorem esse. Ep. I 2, 4 legitur *plenius* pro vera lectione *planius*, ib. v. 5 *distinet*, alii recte *detinet;* v. 8 *aestum*, 3, 4 *terras*, 8, 12 *venturus*, 10, 25 *vestigia*, 14, 19 *qua*, 15, 16 *dulcis*, 15, 36 *donarat*, 16, 7 *cursu.* II 1, 167 *in scriptis*, quod nihil plane significat, ib. 247 *Varus*, 262 *discet.* 2, 11 *excludere.* 32 *opimis*, 36 *mentes*, 123 *virtute calentia.* videtur igitur codex, cuius in satiris insignis fuit integritas, non omnibus partibus eadem diligentia scriptus esse, ut coniciam alio quodam dictante libros epistularum a librario esse exaratos. itaque editores nonnullos parum caute iudicasse censemus, qui ex hoc codice solo epistulas Horatianas emendasse sibi visi sunt. Franciscum Paulyum ut omittam, dies enim et spatium deficiat, si velim enumerare, quibus locis poetae elegantissimo aperta vitia intulerit, Doederlinus ep. I 17, 12 *si prodesse tuis paulloque benignius ipsum | te tractare voles, accedes siccus ad unctum.* ex antiquissimo scripsit *accedes siccus inunctum*, recte interpretatus: 'schliess einem reichen dich an, wenn du arm bist'. sed primum voc. *inunctus* absolute eadem significatione qua 'valde unctus' ut Cruquius voluit, dici posse nego. Doederlinus quidem conferri iubet Ep. I 1, 29 *non tamen idcirco contemnas lippus inungui* et Sat. I 3, 25 *quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis*, sed utriusque loci aliam esse rationem quivis statim intelliget. nam *oculi* aut additi sunt aut ex *lippo*

facillime cogitatione addendi. deinde Horatius semper dicit *accedere alicui:* Sat. II 1, 25 *icto accessit fervor capiti*, 3, 154 *ingens accedit stomacho fultura ruenti.* 5, 72 *illis accedas socius*, 7, 118 *accedes opera agro nona Sabino.* A. P. 211 *accessit numerisque modisque licentia maior*, semel Sat. II 3, 149 *accedere plures ad numerandum.*

Idem Doederlinus Ep. I 15, 32 Paulyo obsecutus ex Bland. scripsit *quidquid quaesierat, ventri donarat avaro.* sed quia perspexit v. 33 *hic ubi nil — abstulerat* sic cum prioribus cohaerere non posse, nam *hic* non ad ventrem, sed ad *Maenium* referendum est, coniecit *hinc* emendandum esse. qua coniectura vereor ne minore vitio sublato maius additum sit sententiarum seriei optime connexae. illa enim admissa lectione versibus 26—30 de Maenio scurra agitur, v. 31. 32 de Maenii moribus quales fuerint 'rebus maternis atque paternis nondum fortiter absumptis', v. 33—41 iterum de Maenio scurra, quem egestas vel omasi patinas edere cogebat. itaque cum Bentleio et codicibus quibusdam, quos Obbarius indicavit, legendum *donaret.* Neque aliter Ep. I 11, 24:

tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
grata sume manu, neu dulcia differ in annum,
ut quocumque loco fueris vixisse libenter
te dicas.

enuntiata bene coniuncta dirimit Ritter, quum ex Blandiniis *tu dicas* scribat. nam 'altera et maior postulatio profertur: prospice ut quocumque loco fueris, libenter vixisse te dicere possis'. hoc si voluisset poeta, non dubito quin: *tu — dices* scripturus fuerit.

Sed haec hactenus. quibus si periti lectores effecisse me censebunt, ut postea ad recensenda Horatii carmina apparatus Cruquii maiore diligentia et cautione adhibeatur, operam perdidisse mihi non videbor.